

www.e-rara.ch

Tractatus de ecclesia

Du Plessis-Mornay, Philippe

[Genevae], 1599

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1096>

Totius operis avakephalaiōsis, iis quae sequuntur thesibus expressa

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



TOTIVS OPERIS

ἀνεφαλαίωσις, iis quæ sequun-
tur thesibus expressa.



Ecclesiam vel visibilem vel vt inuisibi-
lem considerari dicimus.

I.

Inuisibilis Ecclesia est eorum socie-
tas quos Deus quibusvis siue locis siue
temporibus elegit ad vitam æternam.

II.

Visibilis Ecclesia eorum est cœtus,
qui in eam ipsam sunt vocati, certisque locis & tempo-
ribus distinguitur.

III.

Cap. I.

Vna tamen est Ecclesia, sed variis modis considera-
ta: in visibili tanquam granum paleæ mixtum, in in-
uisibili vt granum idem, sed perpurgatum.

IIII.

Ecclesia visibilis primùm sine lege extitit, deinde
sub lege certo loco, & gente circumscripta. Nunc Dei
gratia vbique diffusa est absque vlllo locorum discrimi-
ne: vnde Catholica, id est, vniuersalis appellatio-
nem sortita est.

V.

Ecclesia Catholica cœtus omnes Christianorū sub
se complectitur, quibuscunque regionibus sitæ sint,
quas omnes Ecclesias dicimus, non secus ac maris par-
tes mare: suis tamen nominibus, vt Græcæ, Africanæ,
Britannicæ, & similibus distinctas.

VI.

Ecclesiæ præsertim Catholicæ (qualis nunc est) præ-
res aliæ puræ sunt, aliæ impuræ, & in his rursus aliæ a-
liis impuriore.

VII.

Cap. 2.

Puras dicimus, in quibus viget pura verbi Dei præ-
dicatio, Sacramentorūq; legitima administratio, quã-
uis Dei oculis nihil vsquequaq; purū videatur: nõnul-
li Orthodoxas, alij (sed improprie) Catholicas vocāt.

VIII.

IX.

Impuræ sunt, in quibus deprauata est verbi Sacra-
mentorumque administratio, quibuscunque tandem
notis exteris gloriari possint.

X.

Ac quandoquidem vniuersa Christi doctrina fide &
charitate finitur, quæ quoad fidei doctrinam sunt im-

- puræ, eas hæreticas dicimus: quæ verò charitate peccant, ita vt vnitatē scindant, Schismaticas nūcupamus.
- XI.** Sunt etiam quæ vtrobique peccant, qualis est Romana, quæque ei adherent: nam & perniciosas hæreses tuentur, & eos qui in viam reuocant, persequuntur, & anathemate feriunt. At ramē quamdiu superest aliqua Christi professio, è tenui licet filo pendens, ei nomen Ecclesiæ non denegamus: eadem ratione qua hominē, insanum licet, & morbis confectum, nihilominus hominem appellamus.
- XII.** Vt Ecclesias puras ab impuris discernamus, Deus verbum suum tradidit Scripturis comprehensum, in quibus satis inest ad salutem perfectionis & perspicuitatis, vt quæ perfectissimum illum & patrem luminum auctorem habeant.
- XIII.** Ex iis igitur decidi debent nostrorum temporū conuersionis, & Ecclesia restitui, quemadmodum ex legibus respub. Atque ita, vt quæ Deus prohibet abrogemus, prohibitum autem censeamus quod ad salutem attinet, quicquid ab eo præscriptum non fuit: quod verò præcepit, restituamus, locis denique difficilioribus scripturas ex scripturis interpretantes.
- XIII.** Quæ hanc viam insistunt Ecclesiæ, aberrare non possunt: est enim via salutis: & qui hæc incedunt, iis præit Deus spiritus sui luce: est enim indiuiso nexu cum scripturis coniunctus.
- XV.** Contra verò quæ inde recedunt Ecclesiæ, aberrare possunt, etiam quo ad salutem: deflectunt enim à via salutis: Temerè etiam sibi spiritum vendicant, quem Deus solis ouibus impertit: eas autem solas pro ouibus habet, quæ vocem eius audiunt.
- XVI.** Quamobrem Ecclesia hominum potius figmenta quam legem diuinam sequuta, singulis suis periodis periculosè lapsa est, eousque vt filium Dei, id est, suam ipsius salutem, crucifixerit: quemadmodum & Romanam Ecclesiam nunc filium perditionis, id est, Antichristum adorare profiteamur.
- XVII.** Ecclesia corpus est, cuius Christus Dei filius est caput, efficacitatem Euangelij ministerio per spiritum tribuens, & eiusdem virtute fulciens eos omnes, à quibus nomen ipsius sincerè inuocatur: Atque in eo situm est capitis Ecclesiæ munus.

Nulli autem homini competit ut caput ministeriale esse possit. Quum enim aduentu Christi Ecclesia per totum sit orbem diffusa, eiusmodi ministerium nemo hominum obire potest. Singuli tamen pastores in suo munere Christum referunt.

Neque verò Christus antequam in cælum ascenderet, hoc munus constituit, neque Apostoli obierunt, nec vetus agnouit Ecclesia. XIX.

Itaque ex verbo Dei & veteris Ecclesiæ sententia Papisticam sedem, quæ hoc prætextu mundum tyrannide opprimit, Antichristum esse dicimus: quod quidem, ut probationes & circumstantias alias prætereamus, ex ipsius doctrina confirmari potest. XX.
Cap. 9.

At tamen solum illud Papisticum in parte Ecclesiæ situm neque Ecclesia neque pars est Ecclesiæ, sed in Ecclesiæ corpore pestis, quæ quantum potuit grassata est, & contagio infecit, quamque adeò ne pessum daret, sola Dei misericordia obstitit. XXI.

Ita ergo à Papatu non Ecclesia, ab Idolis non templo, à tyrannide non republica, à peste non urbe recedimus, planè coalituri quamprimum Antichristum cum prauis humoribus euouerit. XXII.
Cap. 10.

Nihilominus interim & ministeriū verbi & Dei cultū ad institutionis ipsius præscriptū restituumus, apostolos, quū Tèplo Hierosolymitano excluderentur, imitati. Neq; tamè idcirco altare altari opponimus: Exhibito enim Christo, vniuersa terra est altare Domini. XXIII.

Qui primū ex nostris ministris manū huic operi admouerūt, eā ipsam quæ aduersarij præsumunt uocationem habuerunt: Pastores enim erant & doctores, eadem qua ipsi forma & ab ipsis instituti: verum uocationi obsequuti sunt, à qua turpiter alij defecerant. XXIII.
Cap. 11.

Qui verò deinceps sequuti sunt, multò præstantiorem habent quàm aduersarij, ut qui sint à primis illis ordinati, penes quos erat huius rei potestas: ac præterea etiā ad præscriptum Apostolorum & veteres Canones in Ecclesia Rom. obsoletos ac planè neglectos. XXIV.

Deniq; præter ordinariā illā uocationem, quæ Deus extra ordinem postremis hisce temporibus ipsorum ministerio perficit planè admiranda opera, abundè testantur ipsos non in hominum, sed Dei opus incubere. XXVI.

F I N I S.